



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Ad quem appellandum sit à judice delegato, aut subdelegato?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

sancti huius adit, recusare illum coram iudice delegato, à quo, si recusantem iusta de causa audire non velit, ad Papam appellari potest, qui enim utitur jure suo, prout hic delegatus subdelegans, non gravat alterum.

§. II.

Ad quem appellandum sit à iudice delegato, aut subdelegato?

Appellationem in his causis delegatis fieri debere à delegato ad delegantem, jura civilia expressè asserunt & si delegatus Papæ, subdelegavit, ad delegatum subdelegantem de jure canonico fieri appellatio debet, nisi totam causam alteri subdelegerit, nullam sibi circa eam jurisdictionem reservando, quo in casu ad primum delegantem appellari debet, ex c. super questionum 19. §. porro h. t. patet: cum enim in posteriore casu nihil jurisdictionis in causa tali delegatus sibi reservaverit, consequenter per factam delegationem tota illius jurisdictione in tali causa extincta est, quæ manet in eo, qui non totam causam subdelegavit, & consequenter appellatio in hoc casu fieri potest, ad proximum subdelegantem, non autem in illo, prout etiam sumitur ex c. cuncto 18. h. t. quæ tamen constitutio extendenda non est ad delegatos inferiorum Prælatorum subdelegantes, à quibus appellari potest immediatè, quocunque intermedio omisso, ad Summum Pontificem. In casu verò, quo duobus v. g. à Papa causa aliqua delegata fuit, cum clausula *appellatione remota*, & unus eorum alteri condelegato vices etiam suas commiserit, prout fieri posse ex dictis jam patet, non potest hic, cui vices suas

alter commisit, procedere, appellatione remota, nec alteri subdelegare, ut habetur in citato c. super quest. §. si verò: cum enim in hoc casu jam non procedat tantum ut delegatus Principis, sub qua qualitate appellatione remota, procedere posset, & subdelegare, sed procedat etiam ut subdelegatus à locio condelegato, ab hoc autem potestatem, appellatione remota, procedendi, aut subdelegandi accipere non possit, consequenter neutrum potest, & si appellatio fiat, non ad condelegatum, qui totam causam & potestatem suam alteri condelegato commisit, facienda est, sed ad primum delegantem.

§. III.

Quibus casibus à subdelegato, ad iudicem primum delegantem, & non ad subdelegantem sit appellandum?

Sunt aliqui casus, in quibus à subdelegato, quamvis ei non tota causa commissa sit, appellari non potest ad immediatè subdelegantem, seu delegatum; & primò quidè, si post subdelegationem cum certâ jurisdictionis reservatione factam moriatur, aut excommunicetur (excommunicatione majore) delegatus à Romana sede, qui subdelegavit, uti habetur c. si is cui 10. h. t. in 6. quo in utroque casu, ne diutius expectandum sit, usque dum v. g. alius substituitur, aut excommunicatus absolvatur, appellatio ad Romanum Pontificem fieri potest. Quod fieri etiam potest in casu, quo delegatus subdelegans plurimum distet, diu absit, delegatus sit suspectus, & universim si diuturnum aliquod impedimentum delegatum impediatur. Secundò si plurimum dele-